



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Analysis Methodica Ivris Pontificii**

**Venator, Daniel**

**[S.I.], 1579**

**VD16 V 541**

De Conivgio Leprosorum. Titulus VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

**E** Quarta. Si quis, uxore viuente, fide data promisit, aliam se ducaturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante, nec post, legitima eius superstite, cognouit eandem: quamvis utriusqueorum pro eo, quod in hoc grauerter deliquerint, sit poenitentia injungenda, non est tamen matrimonium, quod cum eo contraxit post uxoris obitum dirimendum; c. si quis, ext. eod.

Quinta. Maritus aliam ducens uxorem, quae ignorat ipsum alij uxori matrimonio esse allatum, mortua prima, novo consensu interueniente, secundam habere, vel, ad eam redire, tenetur, c. veniens, &c. propositum, extr. eod.

### DE CONIVGIO LEPRO- FORUM.

#### *Titulus VIII.*

**L**epra rescindit sponsalia de futuro: Non autem matrimonii contractum. ita, ut si sponsus vel sponsa lepra inficiatur, alteruter, qui tali morbi vitio non laborat ad perficiendum matrimonium non copellatur, sed liberè cum alio contrahere possit, c. literas, extr. eodem. Coniuges vero, cum alter alterius miseriae obtingentis debet esse particeps, ob lepram, qua alteruter inficitur, nullo modo separari, sed sibi in unum cohabitare & se coniugali affectione tractare debet. Quod si autem sanus morbi contagionem reformidando coniugale debitum prestare detrectet, ad obseruantiam perpetuæ continentia, excommunicationis censura copellitur, c. peruenit, extr. eodem. Nec lepra matrimonio contrahendo prorsus impedimento est. Quocirca poterit

poterit leprosus aliquam, quæ sibi nubere velit,  
in matrimonium iungere, c. quoniam, extr. eod.

## DE CONIVGIO SERVORVM.

## Titulus IX.

Rror conditionis impedit matrimonium  
ab initio. Est enim error quadruplex: scilicet, personæ, conditionis, fortunæ & qualitatis. Error personæ est; cùm puto esse Paulum, & sit Petrus. Conditionis, cùm is, qui seruus est, liber creditur. Fortunæ; cùm putatur diues, qui est pauper. Qualitatis, cùm bonus existimatur, qui est malus. Duo posteriores errores matrimonia nec impediunt nec rescindunt. Qui enim egentem virginem ducit, cùm eam ditissimam putaret, vel eam puellam, quæ florem virginitatis amisit, vel meretricem pro virgine incorrupta matrimonio sibi iungit, resilire non poterit, §. 1. 29. quæst. 1. Quinimò facti meritum habebit, qui publicam meretricem, de lupanari extraxerit, & in uxorem duxerit. Inter opera enim charitatis non minimum est, errantem ab erroris sui semita reuocare, c. interopera, extr. de spons. & matrimon. Quòd si autem circa personam, vel personæ conditionem erretur, scilicet putatur Petrus, & sit Paulus, vel creditur liber & sit seruus, cum quo cōtrahitur, matrimonium iure non subsistit: nisi postea conditione cognita copule carnalis intercedat, c. proposuit, extr. eod. Ratio est. Non quia ad nuptias contrahendas libertas requiritur: hoc enim tantum iure ciuili procedit. Non autem iure Canonico, quo in nuptijs contrahendis nullam esse